



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

22 ciontur, ut unus illorum in solidum conveniri possit. Nam provisio generalis non refertur ad ea, de quibus specialiter provisum reperitur, *l. poli clausula de verb. obligat.* ut ex generali dispositione detractum censetur, quod specialiter ante vel post dispositum est, *l. vxorem §. felicissimo in fine & ibi Gloss. Delegat. 3.* Satis igitur in proposito est, quod hoc debitum, de quo queritur, sit debitum & onus domus mortuariae dictorum testatorum, ad hoc, ut totum seu in solidum secundum obtinentem consuetudinem ab uno peti possit; etiam si cetera, quae ad sustinendum hanc solidi petitionem in hoc privilegiato legato in medium prius adduximus, cessarent; prout non cessant.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Testamenti revocatio.

1. Exceptio rei iudicata identitatem causae requirit.
2. Testamento posteriore quomodo & quando revocetur prius.
3. Intestatus qui decedere vult an presumatur bona sua relinquere heredibus suis ab intestato.
4. Religioso viro quomodo credatur.
5. Consuetudinis probatio quomodo fiat.
6. Consuetudo an probetur assertionem unius doctoris.

CONSILIUM CCCCXXI.

STATVS causa, quae coram Venerabili Domino Officiali Antverpiensi acta & peracta est, inter M. Antonium Fernandez Actorem; & Elizabetham relictam viduam quondam M. Ioannis Ambrosij, partem Opponentem & Ream, post interlocutoriam ultima mensis Octobris, anno 1586. latam, in eopotissimum constitit, an causae & rationes, quae pro parte Rea ad impugnationem testamenti, seu ultimae voluntatis quondam Matthaei de Sardis in hac causa propositae sunt, idoneae & sufficientes sint ad idem testamentum, ejusque effectum subvertendum; velut Actoris intentione sufficienter fundata per exhibitionem instrumenti notarialis, quo continetur dictum testamentum, nulla in parte aliquo vitio visibili cancellationis, inductionis, vel alio laborans, *l. 3. C. de dicto divi Adrian. tol.* & sic totius causae status, & quaestio convertatur ad exceptiones & oppositiones partis Reae; quibus remotis pro dicti testamenti validitate omnino judicandum erit.

Qua in re dicto Actori plurimum ad avertendas dictas impugnationes & oppositiones: & ad impediendum super illis iudicij ingressum, *c. 1. De litu contest. lib. 6.* prodesset debet sententia approbatoria super eodem testamento ante annos duodecim, videlicet decima tertia mensis Novembris anno 1574 per dicti Domini Officialis in officialatu praedecessorem lata, inter Domicellam Leonoram dicti Actoris matrem, & quondam Carolum dicti M. Ambrosij fratrem; non obstantibus dicti Caroli oppositionibus & impugnationibus; quae per omnia ferè eadem sunt cum his, quae dicta pars Rea ad subversionem ejusdem testamenti in hac causa proponit. Ita ut in paritate, imò etiam Conf. Wamel. Tom. II.

identitate causae, seu rei ejusdem, *l. De eadem l. cum queritur cum duob. seqq. De except. rei. indic.* nihil aliud sit in hac re, quam repetitio eorum, quae semel terminata, & definita sunt: quod jus, ne quidem ex rescripto Principis patitur, *l. ult. C. Sentent. rescindi non posse.* Et quamvis ad exceptionem, rei iudicatae efficaciam constituendam identitas rei, seu causae, de qua agitur, non sufficiat; sed hoc praeterea requiratur, ut sit identitas personarum pro quibus, & contra quas res prius fuit iudicata; & in hac parte haec causa ab illa priorè variare videatur, tam ex parte agente, quam defendente, quarum neutra in priorè lite fuit; neutra quoque in locum eorum, qui in priorè lite fuerunt successerit, aut illarum representet: ob id, quod Actor aperte declarat se ex suo proprio capite, suoque proprio jure, non ut haeredem matris suae agere; & dictus M. Ioannes Caroli fratris sui haeres, non sit, nec ut illius haeres, sed ex proprio capite conveniatur, & se defendat; ideoque videri posset, quod res pro dicta Leonora contra Carolum iudicata, nec dicto Actori prodesset, nec praefata parti Reae obesse debeat, *l. 2. C. Quib. res iudic. non noc. l. 2. C. de except. l. Si cum uno De except. rei iudic.* etiam si inter has personas utrimque summa sit coniunctio, *l. 1. C. Quib. res iudic. non noc. matris ad filium, & fratris ad fratrem; causae quoque similitudo, l. fin. C. eod. tit.* ideoque hoc respectu in scrupulositate juris sustineri posset exceptioni rei iudicatae hic propriè locum non esse: hoc tamen ultra ea, quae copiose Advocatus causae ad removendam hanc considerationem deduxit, semper verum manet, quod dicta sententia super approbatione testamenti, si non quoad personas, quoad ipsam tamen causam pro re iudicata, & sic pro jure & rei veritate sit, *l. sine contra De agnoscend. & alend. liber.* utriusque si non impulsivum, saltem persuasivum (ut inquit Baldus, *cons. 443. cecus fecit nu. 3. vol. 3.*) exemplum praebeat, ad hoc, ut Iudex non facile recedere possit à rebus simpliciter iudicatis, *l. Nam Imperator delegib. praesertim in eodem tribunali;* & coram eodem in effectu saltem per representationem & successionem Iudice, *l. proponebatur de Iudic.* Sed ne prauidicio solo Actor in hac causa niti videatur; praesupposito, quod exceptio rei iudicatae hic omnino cesset, rem in ijs terminis accipiendò, quasi numquam pro dicto testamento iudicatum fuisset, eandem velut retinendo, facile demonstrari potest, nihil pro parte Rea in hac causa dicto testamento obijci; quod non bona ratione dilui, & removeri possit.

Nam quod primo loco pars rea obijcit, quod hoc testamentum à Matthaeo quinta mensis Januarii anno sexagesimo octavo, stilo Brabantiae conditum, idem Matthaeus ex intervallo quatuor ferè mensium, vigesima secunda Aprilis, tunc proximè sequentis coram eodem Notario revocaverit, ut constat ex instrumento eà de re confecto; ex notoriâ & aperta juris dispositione facillimè diluitur; ex eo quod haec, quae obijcitur dicti Matthaei sequens revocatio, juris effectum nullum habeat. Etsi enim posteriore testamento semper revocetur prius, *l. 2. De iustro rup. §. posteriore Insit. Quib. mod. test. infirm.* etiam si expressim & nominatim posteriori non sit inserta clausula prioris

prioris testamenti revocatoria, *Tafon in l. Sancimus nu. 7. C. De testam.* nudâ tamen sequente revocatione non revocatur prius ritè conditum testamentum, si nihil sit præter revocationem, & ultra revocationem non sit aliud similiter ritè & legitimè conditum, §. *ex eo Instit. Quibus modis testam. infirm.* nuda enim revocatio seu penitentia non est sufficiens ad revocationem antecedentis testamenti ritè conditi, saltem si non post nudam revocationem ante mortem testatoris decennium effluxerit, d. l. *Sancimus*: idque non tantum in vulgaribus & communibus testamentis: verum etiam in testamentis inter liberos, *Novell. 107. De testam. imperf. Authent. Hoc inter liberos C. De testam.* Idque propter subitos & præcipientes testatorum motus, quibus sæpè levi momento impelluntur inconsulti ad testamenti revocationem; quæ non præsumitur stabili & deliberatâ mente fieri, si non quoque, revocato testamento, aliud legitimum substituatur. Vsq. adeo ut Bartolus existimaverit, & multi alij cum illo, *Int. Si iure De legat. 3.* id non tantum nudæ revocationi, coram duobus aut tribus testibus faciliè tribuendum esse; verum etiam illi, quæ facta est coram septem testibus, seu adhibita eadem solemnitate, quâ testamentum prius conditum fuit. Quod etsi plerique improbent, *Ioan. de Imola in l. Si ita §. regula De liber. & posthum. & in c. Cum esses De testam. Guido Papa decis. 20.* & tam solemnî revocationi plus tribuant, quàm simplici & non solemnî: nemo tamen est, qui non hoc agnoscat, & fateatur, minore solemnitate factam revocationem, sine alio perfecto testamento, nullum habere revocationis per se effectum; præterquam si testator sic nudè revocando, dixerit & declaraverit se id facere, quia intestatus decedere velit: quasi hoc dicendo censetur aliud posterius testamentum fecisse, & hæredes ab intestato instituisse, l. 1. §. *si heres Si testam. nulla extab. DD. in d. §. regula & in d. l. Sancimus, Steph. Bertrandi consil. 36.* Testamentum quod dudum nu. 6. vol. 7. & sic potentior hoc casu sit revocatio, quæ nuda non est, sed vestita coherentia institutionis hæredum ab intestato. Proinde cum hæc revocatio, quam Matthæus coram dicto Notario & duobus testibus obiter apud acta Notarij velut in transitu fecit, nudis simplicibusque his verbis sit facta, *Lequel à de son bon gre & franche volonté revoque, casse, & annulle le testament par luy fait & passe le cinquiesme jour du mois de Janvier l'an quinze cent soixante huit*, hoc est, *Qui suo motu ac liberâ voluntate revocavit, cessavit, & annullavit testamentum ab ipso factum & publicatum quinta die mensis Januarij 1568.* nullâ factâ mentione, quod vellet intestatus decedere; non potest huic simplici revocationi attribui potestas revocati præcedentis testamenti ritè & legitimè conditi, d. l. *Sancimus*, d. *Authent. Hoc inter liberos*. Sic quod in re claris legibus decisa nulla iusta moveatur quæstio, l. *Aucilla. C. de furtis*.

Nec ad rem aut intentandum revocationis sic factæ effectum quicquam facit, quod testator hæc quoque verba addiderit, *Comme si ledit testament n'auroit jamais esté fait ny passe, hoc est, Ac si dictum testamentum nunquam fuisset factum neque publicatum.* Semper enim manet nuditas revocationis, cui nec explicite, nec implicite subijuncta est alia valida

testamentaria vel codicillaris voluntas, quacumque verborum forma id fiat. Summum enim quod in intentione etiam præcipientum verborum constitui potest, est deliberata & velut constans revocandi voluntas; cui lex nullam vim effectualis revocationis attribuit, nisi ex accedente lapsu decem annorum à die prolatorum huiusmodi revocantium verborum, d. l. *Sancimus in verb. vel alij verbis utendo contrariam aperuerit voluntatem*: quasi constantia voluntatis revocandi constitui non posset, nisi illa quoque decennio immota perduraverit.

Nec hac in re vulgaris illa præsumptio, quod 3 qui intestatus decedit, censetur tacita voluntate hæreditatem suam relinquere hæredibus suis ab intestato, l. *Constituuntur De iure codicillor.* Nam ex eo solo non potest constitui testamentaria successio, sed legitima tantum, d. l. *Constituuntur in V. legitimam*; alioqui eo respectu inutilis & sine ulla operatione esset tam diligens, & accurata legis sollicitudo de non revocando priore testamento per solam declarationem penitentia, aut revocationem prioris; quia semper verum est, eum qui testamentum revocat, quàm diu non facit posterius, locum velle facere intestatæ successioni; aliter quàm cum expresse & formaliter dicit se velle intestatum decedere: quasi tunc causam intestati adimat successio testata, & non tam ab intestato, quàm ex testamento deferatur hæreditas, quam testator ab intestato deferri vult, l. *Si quis ita heres instituitur De hered. instit.* quod dici non potest, ubi nulla talis est testatoris expressio, ut eleganter ex facto consultus respondit Carolus Ruinus, *consil. 6. Super casu nu. 7. vol. 2.* Vnde etiam est, quod illa vulgaris præsumptio non constituatur, nisi eum vel codicilli, aut similis aliqua minor solemnitas interveniunt: cum eo casu quod testator per codicillos non dat aut legat, evidenter censetur relinquere legitimis hæredibus, d. l. *Constituuntur*. Nullo verò modo, ubi nulla extat testatoris dispositio, neque etiam ubi revocatio non fit cum clausula codicillari, aut meliore modo; ut in proposito contingit: in quo nihil invenitur præter expressæ revocationis verba sine ulla significatione, quod Matthæus vellet intestatus decedere, aut vellet bona sua inter omnes suos liberos ex æquo dividi, *Ruinus d. consil. 6. nu. 7.* Quâ tamen declaratione seu significatione opus esse Advocatus partis Rex satis aperte tandem fatetur: præsertim post expressam & formalem exhæredationem trium ex suis liberis ex legitimis & iure probatis causis, in *Auth. Vi cum de appell. cognosc.* §. *aliud quoque: veluti quoad filiam ob luxuriosam ejus vitam; quoad filios ob injurias & comminationes verborum; & potissimum quoad dictum Ioannem Ambrosij ob hæreticam illius vitam.* §. *Si quis de prædictis, & Authent. Ut cum de appell. cognosc.* Ut non sit verosimile ob eorum favorem testatorem hanc simplicem revocationem fecisse; sed ex levitate potius & animo non satis constante.

Quod ipsum satis ex eo percipi potest, quod eodem illo anno, ex intervallo duorum circiter mensium post hanc revocationem, idem testator in extremo vitæ suæ momento, coram suo confessorio ex adverso declaraverit se inhærere velle suo testamento; non obstante hæc suâ revocatione;

tionem, de qua declaratione etsi non extet nisi una dicti Confessarii attestatio, eaque in forma non satis probante expedita; quia tamen à viro religioso facta est, si non plenam, *l. iurisurandi C. de testib.* saltem semiplenam probationem & probabilem, imò magnam præsumptionem, facere debet, *Ant. de Burro in. c. Vestra de cohabit. cleric. Alciat. consil. 613. Baldi dictum nu. 2. gloss. in l. Titio fundus, De condit. & demonstrat.* Præsertim nullà existentem iustà exceptionem contra personam hujus religiosi. Etsi enim pars Rea huic objecerit, quod fuerit persona non omni exceptione major; & levis & inconstans: nihil tamen de eo probavit. Et in omnem eventum satis est in proposito non extare efficacem aliquam revocationem, per quam dici possit effectualiter recessum esse à dicto Matthæi unico per eum antea condito testamento; ut nihil necessaria, sed supervacanea sit inutiliter factæ revocationis contraria revocatio.

Quod satis animadvertens & agnoscens pars Rea, nec ea in parte satis confidens hujuscemodi nudæ revocationi ex auctoritate juris communis, ad patrocinium consuetudinis confugit: allegando, quod de longa consuetudine Civitatis Antwerpensis, & ultra hominum memoriam, unusquisque nudâ voluntate coram Notario & testibus efficaciter possit revocare suum testamentum; etiam si revocans aliud testamentum seu codicillum nō faciat; manifestâ significatione, quod cessante dictâ consuetudine, ex defectu probationis, dictæ revocationi Matthæi nihil omnino hac in re sit tribuendum. Cùm itaque consuetudo in facto consistat, probatione indiget, & nisi probata sit, non præsumitur, *c. 1. de constitut. lib. 6.* Porro ad probationem hujus sic allegatæ consuetudinis produxit in testimonium pars Rea Advocatos quatuor, Secretarium unum, & unum Procuratorem, qui omnes hoc dumtaxat testificantur, quod hujuscemodi consuetudo sit notoria & indubitata, semperque viderint allegatam consuetudinem sic observari; nec vidisse aut audisse, quod contra illam judicatum fuerit. Sed nemo ex ipsis est, qui vel unum exemplum proferat, sic in usum receptæ & observatæ consuetudinis; nemo qui testificetur in iudicio contradicto ita umquam judicatum fuisse. Cùm enim consuetudo ex moribus utentium causam & originem trahat; & ex rebus similiter vel judicatis, vel exercitiis introducatur, *l. Nam Imperator De legib.* ad validam probationem consuetudinis per testes tria potissimum formaliter requiruntur: usus populi, actuum frequentia, & temporis diuturnitas, *Cynus in l. 2. nu. 21. C. Quæ sit longa consuetudo, Alex. consil. 45. Visis attestantibus vol. 2. Decius consil. 215. In causa vertente nu. 2. & consil. 402. In causa illustrissimi nu. 10.* quorum trium ne unum quidem in dictorum testium depositionibus conspicitur: cùm nemo sit, qui vel unum ex omnibus civibus, aut incolis Civitatis Antwerpensis nominet aut proferat, qui umquam testamentum ritè conditum nudâ revocatione sic validè revocaverit. Postremus inter hos M. Andreas vanden Steene deponit coram se Notario aliquando fuisse revocata testamenta, nullo alio condito testamento; sed quis hoc fecerit, vel unus ab eo nec nominatur, nec designatur.

Et sanè facilè credi potest id contigisse, non Antwerpiae tantum, sed per totum orbem; unde tamen nemo rectè dixerit, inductam esse consuetudinem, quod hujuscemodi revocationes nudæ per se valeant: nam & usum talem occurrere posse, lex ipsa adversus has revocationes posita, *d. §. ex eo, l. Sancimus*, satis demonstrat; cùm leges ferantur de his potissimum, quæ frequenter accidere solent, *l. Nam ad ea De legib.* Et hanc rem in usu esse indifferentem satis demonstrat hujus postremi testis testimonium: cui hoc adijcit, quod coram ipso quoque aliquando revocata fuerint testamenta, alio condito testamento. Vnus itaque promiscuus facti, pro voluntate utentium ad consuetudinem in alteram partem constituendam, nihil facit: ut fortassis facere posset, si non nisi unus, & is conformis esset, quod revocationes semper fieri viderit. nullo alio condito testamento. Ea enim res posset arguere actuum conformium frequentiam, quæ ad esse consuetudinis, ad illam inducendâ omnino necessaria est; præsertim ubi non probatur contradicto iudicio ejusmodi consuetudinem confirmatam esse. *l. Cùm de consuetudine De legib. Ioan. Faber in §. sine scripto nu. 6. Instit. De iure nat. gent. & civili.* Ita quod non sufficiat, quod testes etiam pragmatici, & in usu fori versati, hoc tantum dicant esse, seu extare talem consuetudinem: id enim cùm faciunt, non de facto, in quo consistit consuetudo, *d. c. 1. De constitut. lib. 6.* sed de jure deponunt; ideoque non probant, *Decius consil. 402. In causa Illustrissimi nu. 13.* Cùm igitur neque hic testis, & multò minus alij quinque de aliquo vel minimo actu seu facto aliqujus, qui nudam revocationem fecerit, qui vel in iudicio vel extra, partes, quas ea res concernere potuit, vel iudices steterint, & vim & effectum revocationis tribuerint; non potest ullo modo dici per eos probata talis consuetudo. Vt ea interea prætermittamus, quæ in specie Advocatus Actoris, horum testium super consuetudine sic indifferet & in vago deponentium, personis, cur illis fides hac in re adhiberi non debeat, latè deduxit cùm nemo sit, cujus testimonio vis probatæ consuetudinis attribui possit, etiam si omni exceptione omnes essent majores.

Verum quidem est, plerosque ex assertione Bartoli, in *l. De quibus nu. 21. de legib.* existimare, vel unius famosi Doctoris testimonio de consuetudine aliquâ fidem adhibendam esse; sed id in controversiam rapitur, & plenius velis à pluribus oppugnatur, & verum non esse demonstratur, *Franc. Arct. consil. 132. In causa qua vertitur, Alex. in l. Post dotem nu. 29. Solutio matrim.* etiam si plurium Doctorum extet nuda talis assertio. Cùm alioqui non ea sit Bartoli opinio, ut cujuscumque Doctoris, præsertim in iudicio examinati, nudæ assertioni credi velit: nam in judiciali testimonio iudicii forma observanda est; quæ inter alia est, ut nudæ ac soli testationi, seu assertioni non stetur, nisi adminiculo, seu adjunctione causæ scientiæ adjuvetur, *l. Solam C. De testib.* In testem itaque productus etiam Doctor, idemque Professor, seu Antecessor, ut fidem mereatur, de tribus illis, quæ paulò ante diximus, hoc est usu, actuum frequentia, temporis diuturnitate, specialiter in probanda consue-

consuetudine testificari debet. Et Bartolum, de Doctore loquentem, Decius sic rectè interpretatur & accipit, d. consil. 402. & consil. 691. In falso proponitur nu. 13. Steph. Bertrandi. consil. 268. Cum nobili nu. 6. vol. 8. ut non de Pragmatico, sed de Iuris Professore, non in iudicio, sed in suis lectionibus, & scriptis de consuetudine asserenti probabiliter, non tamen concludenter, aut necessariò credi possit. Et cum ad esse consuetudinis requiratur temporis diuturnitas, & in consuetudinibus Oppidi Antwerpensis in scriptum redactis, nusquam extet vel verbum unum de hac consuetudine adversus tam claram contrarium continentem juris communis dispositionem; prout etiam pars Rea talem aliquam consuetudinem scripto commendatam in hac causa non allegat; etiam omni probabilitate destituuntur dicti testes, tam confidenter, informiter, & indeterminate deponentes, extare talem consuetudinem, eamque notoriam & indubitam esse; cuius usus ex demonstratione temporis non potest esse vel fuisse diuturnus; sine qua diuturnitate nulla valida consuetudo intelligi potest, l. Diuturna delegib. illius nec uno prolato exemplo aut actu, unde idoneum exemplum constitui posset. Vt proinde nobis omnino extra omnem dubitationem esse videatur de consuetudine hic nihil esse probatum.

Quia igitur hoc Matthæi testamentum per se validissimum est, neque ullo modo ex se impugnatur per partem Ream; cum habeat omnia, quæ ad testamentum pro consuetudine harum regionum sunt necessaria; & in illo filia patri obsequens hæres sit ex asse instituta; reliqui nominatum ex causis iure comprobatis exheredati, nec per exheredatos querelâ inofficiosi, vel propositâ vel præparatâ sit expugnatum; & in omnem eventum in casum oppositionis vel contradictionis, legitimâ suâ contenti esse iussi sint; & adjectione salutaris clausulæ codicillaris, ac meliore modo adversus omnes casus, hoc testamentum sit confirmatum, nullasque vires ad illud enervandum habeat sequens dicti Matthæi nuda & verbalis revocatio; nullo alio condito testamento: meritò pro sustinendo hoc eodem testamento & illius validitate, rejectis partis Reæ impugnationibus, per Venerabilem Dominum Officialem judicandum & pronunciantum esse putamus, ut contentâ validitate dicti testamenti, dictus Actor dispicere possit, adversus quem actionem suam dirigere debeat, ad persequendum fideicommissum, quod sibi ex eodem testamento competere existimat; quâ parte testator, non tantum Leonoræ suæ filiæ, & pro ipsa, sed etiam pro ejus liberis (inter quos est hic Actor) sua bona sic reliquit, ut mater censetur onerata ad restitutionem bonorum ex causa fideicommissi; quod verba prædictæ clausulæ non obscure præferunt, ex verosimili & conjecturatâ saltem voluntate dicti testatoris, l. Fideicommissa §. ult. Delegat. 3. l. Vnum ex familia §. fin. Delegat. 2.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Testamentum prius quomodo & quando per posterius revocatur.

1. Confessio partis superat omne genus probationis.
2. Confessio in una instantia an prosit in alia inter eadem personas.
3. Confessio erronea quando & quomodo revocari possit.
4. Instrumentum quomodo probetur notariale.
5. Scriptura quomodo probetur.
6. Testamentum relativum ad aliquam chartam.
7. 16. Testamentum posterius quando non deroget priori.
8. Clausula codicillaris effectum nullitatis ex præteritione removet.
9. Legitimi imputari, quia beneficio legi municipalis vel consuetudinis ad liberos ex bonis defuncti proveniunt.
10. Testamenti revocatio nulla cautela impediri potest.
11. Testamenti revocandi formam certam potest sibi testator præfigere.
12. 17. Testamentum prius inter liberos quomodo revocetur per aliud sequens.
13. 20. 22. Testamentum prius habens clausulam derogatorem quomodo revocetur per aliud posterius.
14. Testamentum an fieri possit irrevocabile per adiectionem iuramenti.
15. Testamentum an effici possit irrevocabile per clausulam derogatorem.
16. Iuramentum habet fidei interpositio.
17. Clausula, omni meliore modo, in testamentis quid operetur.
21. Revocatio testamenti an blanditijs fieri possit.
23. Inventarij effectus.
24. Reditus annuum præstare minus est, quam solutionem præsentis pecunie.

CONSILIUM CCCCXXII.

Magna admodum est moles Actorum, in causa, quæ coram Venerabili Domino Officiali Leodienfi, in anno sexagesimo quarto inchoata, in hunc currentem annum octuagesimum primum protracta est; inter liberos quondam Iacobi de Buel Actores, contra hæredes quondam Mariæ Thoreel Reos; de & super validitate testamenti præfati Iacobi conditi in anno millesimo quingentesimo vicesimo sexto, quinta Ianuarij; sed in tot diffusis Actorum folijs pleraque ex nimia scrupulosaque potius sollicitudine, quam rei necessitate in causam inducta conspiciuntur; ut de multis quidem disputatum sit, de paucis tamen judicandum esse deprehendatur. Quippe causæ status partim iudicialis, in eo sitat primum, an satis probatum sit hoc Iacobi testamentum? in quo consistit Actorum intentio: deinde an posteriore testamento, quod idem Iacobus in anno millesimo quingentesimo tricesimo primo, decimaquinta Martij condidit, hoc prius revocatum sit? in quo versatur Reorum defensio. De utroque igitur distinctis capitibus tractandum est.

Quod ad prius attinet, difficultatem facit Reorum aperta negatio; quæ negat manum seu scripturam, atque item Notariatum Nicolai Calciacis, coram quo Iacobus hoc testamentum, prius suâ